

Notarius, R. D. Stafford ; Theologi, R. D. Vincent, P. E. Funcken,  
R. D. O'Connor.

Private Congregationes hora decima ante meridiem uniuscujusque diei in Aedibus Archiepiscopalibus convenerunt ; sessionesque generales Patrum et Theologorum hora quinta singulis vespertinis in quibus res variae tractatae fuerunt.  
Private quoque Episcoporum sessiones singulis diebus habitae fuerunt.

---

## SESSIO PRIMA SOLEMNIS.

Die vigesima sexta Septembbris ejusdem anni, incidente in Dominica XIX., post Pent. anno vigesimo Pontificatus Sanctissimi D. N. Pi, divina Providentia Papæ IX., mane hora nona convenerunt Patres in capella Archiepiscopalii. Adfuerunt quoque theologi ac officiales Concillii, multique alii Sacerdotes, Coordinata processione a Palatio omnes exierunt per viam publicam ad Ecclesiam Metropolitanam, Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo, ceterisque Reverendissimis Episcopis vestibus congruentibus indutis. Missa solemnis de Spiritu Sancto, ab Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo celebrata erat. Qua finita concionem habuit ad populum, Reverendissimus Dominus Londinensis Episcopus, Cantatis psalmo, litanii Sanctorum, orationibusque ut in Pontificali Romano præscribitur.

Primo, promulgata approbataque fuerunt a Patribus cum cæremonis solitis sequentia decreta :

- I. De aperienda Synodo.
- II. De modo vivendi in Concilio.
- III. De professione fidei et de Residentia (Con. Fid.).